



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. I. Quid sit restitutio in integrum, & quæ ad illam requirantur?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

TITVLVS XLI.

DE IN INTEGRUM RESTITUTIONE.

§. I.

Quid sit Restitutio in integrum, & quæ ad illam requirantur?

Restituere in integrum aliud non est, in genere loquendo, quàm in pristinum statum reponere læsum, in quo quis fuit ante læsionem. Ut autem concedatur alicui restitutio in integrum, qui in contractu aliquo aut alio actu læsus fuit, debuit contractus sive actus ille fuisse validus; si enim invalidus ille fuit, non datur locus restitutioni in integrum, remedio extraordinario, quia tunc læsus ordinario remedio uti potest, ad nullitatem actus declarandam agendo. Secundò requiritur ad concedendam restitutionem, ut de læsione vel manifestò constet, vel ut ea in iudicio probeatur à læso, non quidem per iuramentum tantùm, sed per testes, vel alia legitima documenta. Tertio requiritur ut læsio sit gravis seu magna, saltem respectivè, & notabilis (de minimis enim seu modicis, ad cavendam litium multitudinem, non curat Prætor, à quo beneficium hoc restitutionis habetur) non quidem ut læsio fuerit facta in dimidio iusti pretii, hæc enim læsio ordinario remedio tuta est, quo rescinditur venditio v. g. juxta *l. 2. Cod. de rescind. vendit.* &

consequenter cessat remedium extraordinarium restitutionis in integrum, nisi etiam in tali casu plenius & pinguius sit remedium extraordinarium.

§. II.

Quibus in specie conceditur restitutio in integrum?

Beneficium hoc restitutionis in integrum conceditur primò ætate minoribus, id est, qui nondum 25. annum ætatis læe exceßerunt, sive masculi sint, sive femellæ, quamvis consensu Patris, Tutoris, Curatoris & decreto Iudicis contraxerint &c. *c. Constitutus 8. h. t.* non tantùm si damnum passi sint, sed etiam ob lucrum cessans, quod consequi poterant, & ob sui facilitatem, aut imbecillitatem omiserunt. Secundò conceditur hoc beneficium pari modo Ecclesiis, non tantùm extractis jam, sed etiam extrui cæptis quo minoribus juxta *c. requisivit 1. h. 2.* (Si in suis scil. bonis lædatur, non item si in suis patrimonialibus lædatur tantùm Ecclesiæ beneficiatus, cum Ecclesiæ privilegiis, minorum gaudeant) & non tantùm Ecclesiis, sed etiam omnibus aliis locis piis, Collegiis Clericorum, & Religiosorum, Hospitalibus, si auctoritate Episcopi erecta, & fundata fuerunt; quin etiam

con-